



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Epistola VII. Caelestini Papae III. Ad Hvbervm Archiepiscopvm  
Cantvariensem. Ei legationem apostolicae sedis committit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

clusis vicariis & clericis eiusdem ecclesiæ, in ea ministrare, & contra approbatam & antiquam consuetudinem loca & stalla personarum in choro & capitulo vsurpantes ordinem ecclesiæ peruertere præsumserunt. Volentes vero huiusmodi præsumptionibus, prout conuenit, obuiari, discretionem vestram per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si vera sunt quæ præmissimus, præsumptores illos, vt ipsi ecclesiæ sancti Petri & canonicis super his in præsentia vestra debitam satisfactionem exhibeant per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Damna etiam, quæ per eodem clericos prædicto capitulo constitit irrogata, sicut iustum fuerit, resarciri faciatis: quod si omnes his exequendis interesse nequiueritis, duo vestrum ea nihilo minus exequantur. Datum Romæ apud sanctum Petrum secundo Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno quarto.

EPISTOLA VII.  
 CÆLESTINI PAPÆ III.  
 AD HVBERTVM ARCHIEPISCOPVM  
 CANTVARIENSEM.

Ei legationem apostolicæ sedis committit.

*Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Huberto  
 Cantuariensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato salutem  
 & apostolicam benedictionem.*

SINCERITAS deuotionis & fidei consueta, quam Anglicana semper ecclesia circa sacrosanctam Romanam ecclesiam conseruauit, in tua (sicut bene confidimus) prouidentia, & virtute reffloruit, & placidi feruoris accipit acceptabile \* incrementum, talis enim ad Romanam ecclesiam tuæ fraternitatis emanauit opinio, quæ in tuæ honestatis odore nos recreat, & constantiæ quam habes vigore confortat; ita vt confidentiam, quam de tua probitate concepimus, in nostro iam apertius opere declaremus. Supplicante itaque carissimo in Christo filio nostro Richardo illustri rege Anglorum, & vniuersis suffraganeis Cantuariensis ecclesiæ, vt Anglicana ecclesia legatum

*Concil. Tom. 28.*

H ij

\* al. sacramentum,



apostolicæ sedis pro suis & regni profectibus obtineret; tum pro deuotione, quam ad Cantuariensem ecclesiam pro meritis illius gloriosi martyris habemus; tum pro tuae probitatis & honestatis intuitu, eorum precibus assensum præstitimus & fauorem, maxime quia multum credimus ecclesiæ & regni vtilitatibus expedire, si talem in ministerio supradicto regio illa recipiat, qualem prædicti regis, & eorum instantia de conuersationis merito & fidei deuotione commendat: ideoque nos ad honorem Dei, & Cantuariensis ecclesiæ salutem, & pacem per totum regnum Angliæ (non obstante exceptione vel priuilegio venerabili fratri nostro Gaufrido Eboracensi archiepiscopo, aut ecclesiæ suæ vel alii facto) officium tibi legationis concedimus, per apostolica scripta mandantes, quatenus illam cum fraternæ obedientiæ humilitate suscipias, & secundum datam tibi cælitus facultatem ad emendandum ea quæ necesse est emendari, & ad statuenda quæ fuerint statuenda, debitæ diligentiam manum auctoritate ipsius legationis apponas; ita nimirum in omnibus reuerentiam matris tuæ Romanæ ecclesiæ promptâ deuotione custodiens, vt eam de profectu ministerii, quod tibi lata committit, tuis etiam facias operibus lætiores. Datum Laterani xv. Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno iv.

## EPISTOLA VIII.

## CÆLESTINI PAPÆ III.

AD OMNES ANGLIÆ EPISCOPOS.

De reuerentia exhibenda Huberto Cantuariensi archiepiscopo, sedis apostolicæ legato.

*Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus in Christo Eboracensi archiepiscopo, & vniuersis episcopis, & dilectis filiis abbatibus & prioribus, & aliis ecclesiarum prælatis per regnum Angliæ constitutis salutem & apostolicam benedictionem.*

**D**IVINÆ sapientiæ inscrutabilis altitudo sacrosanctam ecclesiam in huius mundi latitudine stabiluit, & ita regimen & gubernationem in ipsius inimitabili prouisione esse voluit, vt ad eam salubriter gubernandam plures assumerentur in partem sollicitudinis, quamuis pro vnita-